

9952⁶ 1777,5.
S V P E R
DECIS. SAXON. EL. XX.
D. A. 1746.
D I S S E R T A T I O

Q V A M
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS
C O N S E N S V

P R A E S I D E

D. HENRICO GODOFREDO BAVERO
SERENISS. ELECT. SAXON. A. C O N S I L L.
P R O V O C A T T. R E L L.

D. X. JANVAR. A. C. M D C C L X X V I L
I N A V D I T O R I O I C T O R V M
T V E B I T V R

IOANNES HENRICVS LEBEGOTT LEHMANN
G O E D A - M I S N.

L I P S I A E
E X O F F I C I N A L A N G E N H E M I A



LEGENS SAXON ET XX

D A V I D
D I S C U S S A T I O

PLATONIS TOTIUS OPERA

CONVENTU

PLATONIS

D H E R M O G O D O R I U T R O

SERVATIUS TITIUS SAXON & CONVENTU

DOMINICUS TITIUS

PLATONIS TOTIUS

CONVENTU

JOANNES HENRICUS TEBINGOTT LIMIN

CONVENTU

PLATONIS

EX OFFICINA FAVENCIAE



Q. D. B. V.

§. I.

 Dificiente pacto super damno, quod casu fortuito conductor passus fuerit, illud, si dimidio locarii sit inferius, conductorem ferre, sin superioris, hunc inter et locatorem distribui iubet Serenissimus Llator. Distinguere debemus inter damnum, quod ipsi rei locatae, et quod fructibus ex illa percipiendis perceptus obuenit. Quam etsi vehementer negligi et vix uno verbo attingi a iuris interpretibus intellexi, primo loco nominandam esse censeo. Patet quidem per se, casum, qui rei locatae obtigit, ad solum locatorem quippe dominum secundum iuris regulam pertinere. Ut adeo eius meminiisse quodammodo superuacuum videri possit. Verum, quia discipulis magis, quam doctis scribendum est, conducit, totam rem a primo principio repetere. Quod demum facta semper tutissima via in quibusunque rebus cognoscendis, iudicandisque controversiis incedimus. Deinde huius distinctionis necessitas etiam ex eo cernitur, quoniam ob rei interitum plerumque vel pauciores vel nulli fructus percipi solent, etsi saepius casu fortuito eueniat,

* 2

vt,



ut, salua re, conductor vel perceptione fructuum destituatur vel perceptos amittat. Quum fuerit consilium Llatoris, rem obscuram illustrare, ac dubitationibus eximere, haudquaque nouam, alienam a iuris ratione, obligationem conductori imponere, facile omnes intelligimus, ad fructuum, non ad rei locatae, periculum nostram Decisionem pertinere. Quod praeterea verba eius finalia simul tacite innunt; Und ist hierbey auf die vergangeuen, und noch rückständiger Jahre einige Abschren nicht zu richten.

§. II.

Deinde quaeris, ad sola rustica, an ad urbana simul praedia respexerit Llator. Eodem conductionis iure inquilinus aedes, earumque partem, quo colonus praedium conductum possidet. Quam ob rem idoneam distinguendi causam superesse negas. Sed quoniam ex verborum significatione, quam communis loquendi usus declarat, mentem scribentis intelligimus, et inter omnes constat, appellationes *Pachtcontract*, *Verpachter*, *Pachter*, *Pachtgeld*, aequae receptas usu esse de praediis rusticis, atque de urbaniis *Mietcontract*, *Eigenthümer*, *Mietmann*, *Mietzinnis* occurunt quotidie, ut, si *Pachter* dixeris, colonum quisque non inquilinum te intelligere putet, persuasum habeo, de solis rusticis praediis legislatorem cogitasse, adeoque ad haec sola proxime decisionem pertinere. Quod ipsa rei substratae natura confirmat, siquidem longe diuersa est coloni et inquilini conditio, quorum hic ciuiles et vniiformes ille naturales ac plerumque difformes frustus percipit.

§. III.

Inhaeremus igitur rusticis solis praediis, in quibus diuersam esse scimus percipientrum fructum et per-



perceptorum naturam. Etenim quum rerum conductio vere sit emtio fructuum futurorum, secundum naturam rei et sola eius substantia percipiendorum, quemadmodum venditori incumbit, rem venditam emtori tradere, et eius euictionem praestare, pariter locatoris esse debet, conductori percipiendorum fructuum copiam facere, eandemque ipsi euincere. Quo pertinet. *I. 33. D. Loc. Cond.* quae hanc obligationem sic definit, ut si interueniente vi maiore, cui locator non valuerit resistere, factum fuerit, quo minus frui potuerit conductor, restitutione vel remissione mercedis in illud tempus, per quod frui non licuerit, ab obligatione locatorem liberet, sin dolo eius culpaue, in committendo vel omittendo versante, quanti intersit, cef-santis videlicet lucri non minus, quam emergentis damni praeftationem locatori imponat. Ex quo intelligimus, quodammodo duriorem esse locatoris, quam venditoris conditionem, quem scimus, facta emtione, a periculo speciei venditae nondum traditae liberari.

§. IV.

De fructibus perceptis alia omnia. Traditione rei venditae obligationi, pono rem propriam vendidisse, liberaque a seruitutibus et hypothecis, vel mentionem factam realium harum obligationum, satisfacit venditor. Quae postea rei venditae contingunt, lucro damnoque emtoris, quippe iam domini facti, cedunt. Pariter locationis conductionis vinculum in fructuum perceptione, ob quam contractum erat, exit. Perceptorum fructuum non colonus amplius, verum dominus existimandus est conductor. Quibuscum quia pro arbitrio agit, quis non intelligit, durissimam domini fundi fore conditionem, si periculo fructuum, vsque dum consumti fuerint, eum obstrin gere velimus. In inquiniis enim controversia haec nulla



est, qui dum habitationis commodo loco fructuum
vtuntur, hi ipsi fructus in dies percipiuntur, et, quam
primum plene percepti sunt, nullum sui vestigium relin-
quent.

§. V.

Quoniam vero multum temporis, multum operae,
quarum quocunque genus est plenum periculi, in colli-
gendos, ad hominis usum cogendos, asseruandosque na-
turales fructus impendi debet, quoniām denique bonae
fidei contractus est locatio, hoc persuasit quibusdam in-
terpretibus, vt, si non omnino definita pacto sit periculi
obligatio, tum demum plene perceptos a colono fructus
existimarent, si in custodiam suam eos redegerit v. C A R P-
P O V. ad *Constit. 37. def. 20. part. II.* Aliis contra per-
ceptionem cum transitu periculi coniunctam in fructuum
a solo separatione ab ipso colono facta omnino colloca-
tibus, v. M E N C K E N ad *Pandect. L. XIX. Tit. II. §.*
29. Quorum equidem sententiam non solum v. l. 78. D.
d. R. V. iuris, sed aequitatis etiam rationi magis consentaneam
agnoscō, si quidem experientia docemur, varietate
et frequentia grauius imminere fructibus periculum cohae-
rentibus solo, quam perceptis.

§. VI.

His demum praemissis, non inepte quaesueris, quale
genus fructuum Serenissimus Lator cogitauerit. Et quo-
niām lex ipsa non distinguit, percepti fuerint fructus an
minus colono casu fortuito erepti, quoniām contractus
ipse est bonae fidei, adeoque vt ex aequitate lites obortae
dirimantur sua natura desiderat, et ob id ipsum, quod ia-
cturam fructuum, quae dimidium locarii non excedit, so-
li colono lex imponit, grauiorem vero inter colonum et
loca-

locatorem distribuit, praeter legis distinctionem non distinguere eo magis aequum videtur, quo magis locatoribus haec Decisio patrocinatur, quibus iure communi incubit amissorum fructuum integrum aestimationem de mercede remittere *l. 33. D. Loc.* Taceo, pro modo fructuum, quales plerumque percipiuntur, mercedem constitui solere, adeoque cum emtione spei locationem conductiōnem comparari commode non posse. Quibus omnibus facile quis posset in eām induci sententiam, ut existimat, animus fuisse Llatori hac aequa damni partitione discrimen illud a perceptione fructuum petitus omnino tollere.

§. VII.

Si ex aduerso consideramus, iuris abrogationem prae sumi non posse, et ex ipsa legis nostrae appellatione apparere, latam esse, ut ius antiquum declarareret, non ut novum constitueret; id vero certi iuris esse, quod supra vidimus, locatoris obligationem circa fructus horum perceptione finiri, qua videlicet facta coloni persona in dominum, cuius est suarum rerum periculum, transit; contra non omnino ad reparationem damni, quod in percipiendis fructibus conductori euenerit, leges locatorem obligasse, sed tum demum, si intolerabile, et sequentium annorum vbertate non restitutum fuerit *l. 25. §. 6. l. 15. §. 4. D. Loc.* facile intelligimus, id solum egisse Serenissimum Llatorem, ut quale damnum esset intolerabile definiret, et ne forte durior haec definitio colonis videretur, litiumque ambages praeciderentur, in aestimando damno simul praeteritorum et sequentium annorum vbertatis rationem habere, contra ea, quae in iure Ciuli constituta esse vidimus, prohiberet.

§. VIII.



§. VIII.

Ad normam aestimandi computandique damni quod attinet, existimo insistendum esse quantitati fructuum, eisque constituto pretio; ex quo in consignatione fructuum, (*dem Pacht Anschlage*) mercedem contrahentes definierunt, ut quantum frumenti deest aliorumque fructuum ob coeli intemperiem vel tempestatem aliquam maiorem vim, isto pretio in contractu probato aestimetur, ita tamen, ut simul ratio habeatur, quod numero deficiat, annon pretii grauitate suppleatur. Quod si contingat, praesertim ob frumenti raritatem, dici non potest, damnum aliquod colono obtinisse. Neque interest, antecedente vel inseguente anno pro vilissimo petio frumentum vendatur. Partim, quia numero accrescit quod pretio deest, partim, quia ex sterilitate vberitateque reliquorum annorum metiri damnum lex nostra vetat. Longe plura quidem dici posse fateor, me vero propter temporis et loci angustiam in his acquiscere oportet, et lubens acquiesco, modo, quae attuli, aliis simul cognatis controversiis dijudicandis inservire possint.

Leipzig, Diss., 1777 A-0

ULB Halle
004 568 583

3




sb:

f



1777.5.



Farbkarte #13

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

B.I.G.

V P E R
XON. EL. XX.

1746.

R T A T I O

V A M
CTORVM ORDINIS
SENSV
ESIDE

DOFREDO BAVERO
T. SAXON. A. CONSILL.
CATT. RELL.

A. C. MDCCCLXXVII.

RIO ICTORVM
BITVR

LEBEGOTT LEHMANN

D A M I S N.

S I A E
A LANGENHEMIA